

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae V.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

Syngrapha Sitriana] De qua diximus in epist. 2. ne saepius eadem iterentur.

Ad me valde pertinere] Vt pecuniis ex ea syngrapha exactis alerentur, ac Romam deportarentur pantherae, quas dare suis ludis anno sequenti Coelius cogitabat. vide epist. 9.

De pantheris] Epist. 2.

Cibyrtas] Venandi peritam gentem. epist. 9. et lib. 6. ad Attic. epist. 1.

Regem Alexandrinum] Ptolemaeum, quadriennio ante a Gabinio Syriae proconsule restitutum, diximus lib. 1. epist. 1.

Quid mihi suadeas] Fortasse curam sibi a senatu eius regni inuifendi, atque aliquandiu procurandi mandari cupiebat.

Quis procuret] Procurabat Ptolemaei pueri, annum XIII agentis, nutricius eius, eunuchus, nomine Photinus, is, cuius consilio Pompeius Magnus, cum Pelusium accessisset, necatus est. Caesar lib. 3. de bell. ciu. c. 103. 104. 108. Appianus lib. 2. de bell. ciu. Dio lib. 41. Plutarchus in Pompeio.

Percribas] Nec enim ei de regni statu difficilis cognitio erat, cum Ciliciae praeesset, cui prope in conspectu Aegyptus est.

EPISTOLAE V.

ARGUMENTUM.

Prior epistolae pars moralis est, quia profectum a benevolentia metum Coelii significat, ne cum Parthorum copiis congressus Ciceronis exercitus prefigetur: posterior, quia de successione prouinciarum agit, negotialis. Haec epistola quo die scripta sit, non apparet: sed videtur superiorem proximam paucis diebus consecuta. nam, neque iterauit Coelius de pantheris, quia scilicet paullo ante scripserat: neque Curionem designatum esse tribunum plebis significat, quem in proxima dixit petere: quoque magis mouetur, huic, et superiori Cicero una respondet epistola, quae decima est lib. 2.

EXPLANATIO.

Finitimarumque regionum] Quas nonnumquam incurrentes Parthi vexabant. primam vero, quam, traiecto Euphrate, qui terminus Romani imperii fuit, inuadebant Parthi, Syriam fuisse, ex lib. 15. epist. 1. 2. 3. 4. cognoscitur. ceterae vero regiones vel Romanis parebant, vel in earum societate clientelaque erant, possessae a regulis tyrannisque, aut suis legibus libere viuentes.

Animi pendeo] In sollicitudine sum. notum loquendi genus. *Pendemus animis*, dixit Cicero Tusc. 1. c. 40. sed visitatus, *animi*.

Si hoc moderari possemus] Si liceret nobis, quod ad Parthicum bellum attinet, ita rem moderari, et hoc modo corrigere, ut cum viribus copiarum tuarum bellum aequaretur; nihil tam esset optandum. Dixit, *hoc*, pro hac ratione, hoc modo: vel, *hoc*, accusandi casu:

id

id est, id quod mihi timorem iniicit. Sigonii liber habet, *hoc more moderari possemus, et pro viribus copiarum, etc.*

Triumphoque] Ad triumphum satis erat, hostium quinque millia vna acie occidisse: de quo Valerius Max. lib. 2. c. 3. Respondit Cicero: *Velles, ais, tantum mudo ut haberem negotii, quod esset ad laureolam satis.*

Grauem illam dimicationem] Cum omnes vtriusque copiae concurrunt.

Parthus] Pro Parthi, historico more. sic Liuius saepe et alii, *Poenus*, et *Romanus*, pro *Poeni*, *Romani*.

Vix vnum saltum] Qua transire in provinciam Ciceronis Parthi conarentur. *Vix* autem, quia duas tantum legiones Cicero habebat, ut lib. 5. ad Attic. epist. 15. Plutarchus ait fuisse duodecim millia peditum, equites MMDC. id quod ostendit, in singulis legionibus sena millia peditum fuisse. equitum autem numerum, vix crediderim, in Plutarcho vacare mendo. nam singulis legionibus tercenos adiunctos equites fuisse, satis liquet. quod si accedant auxiliares, tantus tamen numerus non efficitur. nisi si, quod valere Parthos equitatu constabat, ideo numerus equitum auctus est.

Controuersiam] Referente enim ad senatum Marcello consule de provinciarum successione, eo consilio, ut Galliae Caesaris eandem conditionem subirent; videt Coelius, id quod euenit, intercessum iri a tribunis plebis, quia legitimae provinciae Caesaris tempus Vatinia primum, deinde Trebonia lege datum, expletum nondum es-

set. quae igitur intercessio, Galliarum causa, senatus consultum de provinciis impediet, eadem, ne ceteris provincias obtinentibus succedatur, efficiet.

Quid factururus esses] Quem provinciae decedens praeficere velles. epist. 9. *Quantum diuino, relinquendus tibi erit, qui provinciam obtineat.* Nam non expeditur successio, quum Galliae, quae habent intercessorem, in eandem conditionem, quam ceterae provinciae, vocantur.

Tralaticia ERN. *Translatitia*] Vistata, vsu translata: ut lib. 3. epist. 8. *Hoc vero, inquit, ex quo suspicio nata est, me exquisisse aliquid, in quo te offenderem, translatitium est.*

Constituetur] In senatu. constituetur autem decreto generali de omnium provinciarum successione. *Erie*] Tribunus plebis amicus Caesaris: ut intercesserunt quatuor. epist. 8.

Alius] Tribunus plebis Pompeii, id est optimatum, fautor: qui cum impedi Gallias viderit, expediti reliquas non patietur: eo scilicet consilio, ut vel omnibus, qui provincias obtinent, vel nemini succedatur.

De omnibus provinciis] Consularibus, et praetoriis: de quibus consul M. Marcellus, primum de consularibus, mox de praetoriis, separatim verba fecit. epist. 8.

Plus biennium] Non fallitur. numquam enim res, nisi civili bello, ad exitum deducta. *Plus biennium*, pro, *plus biennio*: ut lib. 6. ad Attic. epist. 6. *Num est hoc, non plus annum obtinere provinciam?*

Moretur]

Moretur] Passiue, dixit, antiquo more. sic in Agraria 2. c. 21. *Agrum excipere nominatum, qui publicus esse fateatur.*

Mea consuetudine] Id enim promisit epist. 1.

In quodam incili iam omnia ERN. *In quodam incilicia omnia*] Sic Medicens liber, et qui fuit Vbaldini. Sigonii vnus, *in quodam incilicia omnia*: Ioannis Scalae, *in quodam omnia in Sicilia*: Maffeorum, *in quodam vtilicera omnia*. Mendum patet: nec displiceret, *in quodam incili iam omnia*: quod olim placuit. *Incilia* fossae sunt, in quas ex fossis aquae deriuantur.

Adhaeserunt] In actione de prouinciis, tamquam in quodam incili, urgente M. Marcello consule idem illud, quod antea, vt iis, qui prouincias obtinent, succedatur.

Vrget] Ergo, resedisse impetus eius, falso putauit Coelius. Id enim scripsit epist. 2. Et cum dicat, *idem illud vrget*; antea scriptum esse ob eo de hac Marcelli actione, et aliquot Coelii ad Ciceronem epistolas desiderari, satis constat.

Neque adhuc frequentem senatum efficere potuit] Neque, hic vsurpatur pro *ne quidem*, hac sententia: tantum abest, vt Marcellus senatus consultum efficere de prouinciarum successione, vt ne senatum quidem adhuc frequentare potuerit. sic lib. 1. ad Attic. epist. 5. *neque id neglexi*. Non dissimile illud lib. 9. epist. 15. *Quod altera epistola purgas te non dissuasorem mihi emtionis Neapolitanae fuisset, sed auctorem commorationis urbanae: neque ego aliter accepi. intellexi tamen idem, etc.* Infrequenti autem senatu fieri senatus con-

sultum leges vetabant. qua de re diximus lib. 1. epist. 9. in eo loco, *mibi est senatus assensus, vt de agro Campano, frequenti senatu, Idibus Maiis referretur.*

Curio tribunus] Ex his verbis, non iam esse designatum tribunum Curionem, conicio.

Introiuit ERN. *Introibit*] Introiuit, neque solum anno postero, Curione tribuno, sed etiam eo, qui consecutus est, M. Antonio et Q. Cassio Longino tribunis plebis, qui senatus consulto de prouinciis intercesserunt.

Quam facile nunc sit] Nunc, pro *tunc*: vt futurum tempus praesentet; quo magis rem oculis subiiciat, vel, *nunc*, hoc in statu, cum Curio tribunus plebis sit, et de prouinciis agatur.

Impedire] Impedimento enim erunt Caesariani Pompeianis, ne fiat senatus consultum de prouinciarum successione: Pompeiani autem, nisi libere liceat de omnibus prouinciis decernere senatui, reliquas impedient. epist. 8.

Qui sua causa, rem publicam non curet ERN. *curent*] Sic plans in plerisque antiquis libris. mihi videtur, cum de vno Caesare sermo habeatur, legendum, *curet*. nam is, suae potentiae causa, rem publicam non curabat. Adiuvat et confirmat opinionem nostram Fuluii Vrsini liber, in quo est, *qui sua cum republica non curet*.

Superet] Superfit, reliquum sit: id est, quantum in hoc Caesar negotii sit habiturus. sic lib. 5. de Fin. c. 15. *De eo, quod ipsis superat, aliis gratificari volunt.* et lib. 13. ad Attic. epist. 46. *Quinto deligabo, si quid aeri meo alieno superabit, et emtionibus.*

EPISTO.